



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 78. Sessio VI. Concilii Tridentini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

§. LXXVIII.

Session VI. Concilii Tridentini.

Rebus ita decretis Patres ad Sessionem *Labbe Conc. sextam* processerunt, quæ habita est *coll. tom. 14. p. 756. Pallav. l. 8. c. 18. n. 10. Spond. hoc ann. n. 1. Raynald. l. c. n. 6. & 7.*
 decima tertia Januarii seu octava die Festi, quod sanctis tribus Regibus erat sacrum. Intererant illi duo duntaxat Sedis Apostolicæ Legati Montanus & Cervinus; quippe Reginaldus Polus, ut supra meminimus, jamjam Romam reversus erat: præter hos vero aderant duo Cardinales, Madrutius & Pacceus, decem Archiepiscopi, quadraginta quinque Antistites, duo Abbates, & quinque supremi Ordinum Præpositi, præter Claudium Jaium & Ambrosium Pellargium ex Ordine S. Dominici, quorum primus erat Augustani Cardinalis, alter vero Trevirensis Archiepiscopi Procurator: Porro nullus ex Principum Legatis intervenerat, eoquod Galliarum Regis Oratores, qui soli Tridenti morabantur, huic Sessioni interesse recusarent, caussati, quod nolint incurrere offensionem Cæsaris, cui hujusmodi Decretorum promulgationem displicere crederent, atque hujus rei argumentum foret Cæsarei Oratoris Mendozæ absentia, cum is certo præsens fuisset, nisi id Cæsarem ægre ferre

Sæcul. XVI
A.C. 1547

putasset: cum vero Galli hanc Sessionem accedere impensius rogarentur, se adventuros polliciti sunt, dummodo Paccetus se Cæsaris nomine adfuturum scripto profiteretur: eo autem id renuente, Franciæ quoque Oratores in aedibus suis perstiterunt, Cæsaris vero Legati Tridento excedere iussi sunt.

His licet absentibus Andreas Cornelius Spalatensis Episcopus sacrum solemne de Spiritu sancto decantavit, ac sermone per Thomam Stellam Salpensum Episcopum habito, necnon Litanis de more cantatis, Diaconorum quidam legit ex S. Matth. 5. Evangelium, quod incipit: *Vos estis Sal terræ &c.* Cardinalis vero Montanus utpote Synodi Præses, primusque Papæ Legatus orationem habuit, cui præfixit hæc Isaïæ Prophetæ verba: *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Hunc textum Montanus attribuit Ecclesiæ tanquam dilectæ Christi Domini Sponsæ, contra quam hæreticorum artes nihil prævalere poterant. Absoluto hoc sermone idem Cardinalis Hymnum *Veni Creator Spiritus* intonavit, quem Cantores profecuti sunt. Postmodum ambo Legati summam Aram accedentes, vultu ad Patres converso confederunt, ac demum Antistites juxta electionis

Isa. c. 60. v. 1.

tionis suæ ordinem suas quisque Se-
 des occuparunt: Spalatensis vero Ar-
 chiepiscopus a Legatis recepit duo illa
 Decreta in hac Sessione promulganda,
 quorum primum erat de justificatione,
 alterum vero de Residentia: igitur con-
 scenso suggestu utrumque alta voce præ-
 legit, præprimis vero illud de justifica-
 tione in sexdecim capita distinctum u-
 nacum triginta tribus Canonibus con-
 tra hæreticos recitavit.

Sæcul XVI.
 A.C. 1547.

§. LXXIX.

*Hujus Synodi Decretum de Ju-
 stificatione.*

Præprimis hujus Decreti præfatio le-
 gebatur his verbis concepta: *Cum* ^{Labbe ib. t. 14. p. 757.}
*hoc tempore non sine multarum animarum
 jactura, & gravi Ecclesiasticæ unitatis de-
 trimento, erronea quædam disseminata sit
 de justificatione doctrina: ad laudem, &
 gloriam omnipotentis Dei, Ecclesiæ tran-
 quillitatem, & animarum salutem, sacro-
 sancta Oecumenica, & generalis Tridenti-
 na Synodus, in Spiritu sancto legitime con-
 gregata, præsidentibus in ea nomine Sanctis-
 simi in Christo Patris, & Domini nostri
 Domini Pauli, divina providentia Papæ III.
 Reverend. Dominis D. Joan. Maria Epi-
 scopo Prænesino, de Monte, & Marcello,
 Tit. S. Crucis in Hierusalem Presbytero,*

K 5

S. Ro.